



L'empereur Louis le Pieux confirme l'échange de biens et d'hommes conclu entre l'évêque de Strasbourg Bernold et le comte Erkingar, 823 – AD67, G 5 (cote Num : 151 Num 322). 61,5 x 34 cm.

Ce document exceptionnel est l'un des plus anciens conservés par les Archives d'Alsace. L'héritage de la Rome impériale est évoqué avec la titulature d'« empereur auguste » et surtout avec le superbe sceau réalisé à la manière antique, qui représente un profil d'homme ceint d'une couronne de lauriers et portant le manteau impérial.



Transcription

IN NOMINE DOMINI DEI ET SALVATORIS NOSTRI JHESU CHRISTI, HLUDOVVICUS, DIVINA ORDINANTE PROVIDENTIA IMPERATOR AUGUSTUS. SI ENIM EA, QUAE FIDELES IMPERII NOSTRI PRO EORUM OPORTUNITATIBUS INTER SE COMMUTAVERINT, NOSTRIS CONFIRMAMUS AEDICTIS, imperialem exercemus consuetudinem, et hoc in postmodum jure firmissimo mansurum esse volumus.

Idcirco noverit omnium fidelium nostrorum, praesentium scilicet et futurorum industria, quia vir venerabilis Bernoldus Strazburgensis ecclesiae episcopus, necnon et vir inluster Erkingarius comes innotuerunt celsitudini nostrae, eo quod pro ambarum partium oportunitate aliquas res et mancipia inter se commutassent.

Dedit igitur praedictus Bernoldus episcopus ex ratione praedictae ecclesiae suae eidem Erkingario ad suum proprium ad habendum in pago Alsacense in villa et marcha, quae dicitur Bodoles villare, sive Pleanungo villare omnes res quantumcumque in ipsa villa vel fine ex ratione episcopatus sui habere videbatur, cum mancipiis duodecim his nominibus : Ello, Fridalind, Hildim, Vuillaran, Engilbert, Odalgart, Autbert, Amalgart, Adalgart, Reginart, Adaltrud, Vuilligart. Et econtra in compensatione hujus rei dedit praefatus Erkingarius comes ex suo proprio memorato episcopo ad partem ecclesiae suae in eadem pago in locis nuncupantibus, id est, in Duminheim areales duos cum casis et granea, et de terra arabili jugera quadraginta sex, et de pratis ad carra decem. In villa Liutpotesheim areales duos cum casa una, de terra arabili jugera triginta duo, prata ad carra duo.

In villa Vuittinishaim areale unum cum casa dominicata et granea, de terra arabili jugera LXXV prata ad carra X, de silva quasi jugera VII, et pomarium unum. Ad Creacheshaim hobam unam. Ad Platpotesheim areale cum casa una, de terra arabili jugera XV, prata ad carra quattuor, et Holzmarcha et insuper mancipia XII his nominibus: Vulpot, Vuinigelt, Ratini, Radvich, Hunboldus, Frenkin, Freidin, Hucbert, Rinhart, Deganolt, Hitto, Adalger. Unde et duas commutationes pari tenore conscriptas manibusque bonorum hominum roboratas se prae manibus habere professi sunt, sed pro integra firmitate petierunt celsitudini nostrae, ut ipsas commutationes denuo per nostrum mansuetudinis praeceptum plenius confirmare deberemus, quorum petitionibus denegare noluimus, sed sicut unicuique fidelium nostrorum juste petencium, ita nos illis concessisse atque in omnibus confirmasse cognoscite. Praecipientes ergo jubemus, ut quicquid pars juste et rationabiliter alteri contulit parti, deinceps per hanc nostram auctoritatem jure firmissimo teneat atque possideat, vel quicquid exinde facere voluerit, libero in omnibus perfruatur arbitrio faciendi, quicquid elegerit. Et ut h^c auctoritas firmior habeatur, et per futura tempora melius conservetur, de anulo nostro subter jussimus sigillari [notes_tironiennes].

[chrisme] DURANDUS DIACONUS AD VICEM FRIDUGISI RECOGNOVI ET [ruche] [sceau].

[Data . . . ? . . .] anno Christo propitio, X imperii [domni] Hludovuici piissimi augusti, indictione prima.

Actum Franconofurd palatio regio.

In Dei nomine, feliciter. Amen.



Légende brute lue sur l'empreinte du sceau rivé :

+ XPE PROTEGE HLUDOVICUM IMPERATORE

Louis Ier dit « le Pieux » (778-840)
est le fils de Charlemagne.

Il est roi des Francs et
empereur d'occident de 814 à sa mort.